



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 70. Series vitæ, & indoles Pii II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



Sæcul. XV.  
A.C. 1458.

§. LXX.

*Series vitæ & indolis Pii II.*

*Platin. in vi-  
ta Pii II.*

*Æn. Sylv.  
ep. 384. 385.  
386.*

Pius II. natus est in pago Corfiniano, qui decem circiter milliaribus Senis distat, Patrem habuit Sylvium Piccolominæum; Matrem vero Victoriam Fortiguerram, ex nobili, sed non usque adeo avita familia. Pium Anno millesimo quadringentesimo quinto Pientiæ in territorio Senensi, ubi Pater ejus exul erat, primam lucem aspexisse, Dupinus affirmat; nec tamen his, quæ diximus, ad-versatur; quippe Pius II. Corfinianum, nativitatis suæ locum, ut illustriorem redderet, ad Episcopalem civitatem evexit, Pientiamque a nomine suo appellari voluit. Tradunt Historici de Victoria Fortiguerra ejus Matre, quod per quietem, cum gravida esset, infantem cum mitra parere sibi videretur, atque ideo vereretur, ne somnium illud Æneæ puero, totique familiæ ignominiam portenderet, cum eo tempore mitræ chartacæ deponendis Clericis imponi solerent: verum melius longe fatum Matrem metu liberavit. Æneas enim summa sollicitudine educatus, liberales disciplinas summo profectu didicit, tandem emenso Senis studiorum curriculo, Anno supra millesimum quadringentesimo trigesimo primo



mo patriam reliquit, & Dominicum Ca-  
 pranicam, qui de Ecclesia ab ipso admi-  
 nistrata dicebatur Cardinalis Firmanus,  
 ad Basileensem Synodum comitatus est,  
 eidemque a Secretis fuit, licet nonnisi vi-  
 gesimum sextum ætatis suæ annum  
 ageret. Eodem quoque munere funge-  
 batur apud alios nonnullos, præcipue  
 Cardinalem Albergatum, a quo in Sco-  
 tiam missus est. Inde vero rediens, a  
 Synodo Basileensi Referendarius, postea  
 literarum Apostolicarum Abbreviator,  
 Cancellarius, ac generalis negotiorum  
 Procurator nominabatur. Frequenti  
 Legatione honoratus, Argentinam, Fran-  
 cofordiam, Constantiam, Sabaudiam, &  
 ad Grifonum Rempublicam decerneba-  
 tur, tandem vero Mediolani in Ecclesia  
 Collegiata S. Laurentii Præposituram ob-  
 tinuit. Hæc inter publica, eaque gra-  
 viora negotia, semper tamen aliquid otii  
 suffurabatur, quod elucubrandis nonnul-  
 lis operibus traderet; eo enim tempore  
 publici juris fecit illos tractatus, quos  
 contra Eugenium IV. Papam pro Conci-  
 lio Basileensi scripsit; quamvis Papa ele-  
 ctus mentem suam revocaverit, prout  
 apparet ex Bulla, quam Anno millesimo  
 quadringentesimo sexagesimo tertio die  
 vigesima quarta Aprilis publicavit, & o-  
 perum suorum collectaneis præfixa ha-  
 betur. In ea cuncta a se alias pro hoc  
 Conci-

Sæcul. XV.  
 A. C. 1458.



**Sæcul. XV.** Concilio scripta retractat, necnon a Pontificis sententia ad quodcunque Concilium provocari inhibet.  
**A.C. 1458.**

Felix V. eundem sibi a secretis esse voluit, eodemque munere illum dignatus est Fridericus Imperator, a quo laurea, poetarumque privilegiis donatus, variis legationibus Romam, Mediolanum, Neapolin, in Bohemiam, atque ad alia loca mittebatur. Eugenius IV. Æneam, quamvis ab ejus calamo fuisset offensus, ob præclaras tamen ingenii dotes minime in postremis habuit; Nicolaus V. vero Papa eidem Tergestinum Episcopatum contulit, quem tamen postea, adempto Senensi, dimisit; idem quoque Papa Æneam Nuntium Apostolicum decrevit in Austriam, Hungariam, Bohemiam, atque Silesiam, ubi demandatis sibi negotiis optatissimo successu defunctus est. Mira prorsus operabatur in Ratisbonensibus & Francofordiensibus comitiis, quæ ad pangendum contra Turcas fœdus hortatu Papæ indicta erant, licet hoc consilium morte Nicolai V. eventu caruerit. Callistus III. hujus successor Senensem Episcopum, dum in Germaniam redire meditaretur, Romæ detinuit, & Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto Cardinalium Collegio adscripsit. Eo autem vita functo Sedis suæ Successor renuntiatus est, ut mox retulimus.



tullimus. Omnia ejusdem opera in unum sæcul. XV.  
 volumen redacta Basileensibus literis An- A.C. 1458.  
 no Domini millesimo quingentesimo quin-  
 quagesimo primo excusa habentur. Il-  
 lius vero epistolæ Norimbergæ, Lovanii  
 & Lugduni typis impressæ exstant. Præ-  
 terea Joannes Gobellinus Persona, quem  
 ab epistolis habuit, res gestas Pii II. duo-  
 decim libris conscripsit, de quibus tamen  
 probatiores Critici pronunciant, quod ab  
 eodem Pontifice sub ficto Gobellini nomi-  
 ne compositi fuerint. Idem commenta-  
 rii postea Romæ Anno millesimo quin-  
 gentesimo octogesimo quarto, ac de novo  
 Anno Christi millesimo quingentesimo o-  
 ctogesimo nono in minori forma, tandem  
 vero Francofordiæ Anno millesimo sex-  
 centesimo decimo quarto *in folio*, ut vo-  
 cant, imprimebantur.

§. LXXI.

*Diversa Principum judicia de electione  
 Pontificis.*

Quamvis Æneæ electio non omnibus  
 Principibus æque probaretur, ni-  
 hilominus nullus erat, qui eam sibi gra-  
 tissimam esse, exterius significare dubita-  
 ret. Præprimis Ferdinandus Neapolis  
 Rex, cum Alphonsus ejus Prædecessor  
 parensque intimus esset Cardinalis Se-  
 nensis amicus, summum ostendit gaudium.  
 Francis-